

6.

1273. März 13. Papst Gregor X. bestätigt ein zwischen den drei geistlichen Ritterorden getroffenes Abkommen zur gütlichen Begleichung der im Orient über Güter und Rechte zwischen ihnen ausbrechenden Streitigkeiten.

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Jerosolimitani salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod vestre et militie Templi ac Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitani domorum magistri, preceptores et conventus earum considerantes attente, quod pretextu bonorum et iurium in Jerusalem, Cypri et Armenie regnis necnon principatu Antiocheno et comitatu Tripolitano ad domos ipsas spectantium frequenter in partes suscitabatur materia questionum et quod propter hoc dehonestabatur religionis integritas, caritatis inter eas vinculum solvebatur et non modicum deperibat negotio terre sancte, ac provide hiis occurrere cupientes diligenter deliberatione prehabita de proborum virorum consilio unanimiter et concorditer ordinarent, ut quotienscumque super huiusmodi bonis et iuribus suscitaretur inter eos adin vicem huiusmodi materia questionum, unus de vestra et qualibet domorum ipsarum singuli a preceptorate suo fratres eligerentur ydonei super questionibus ipsis amicabiliter dirimendis, ita quod quicquid huiusmodi fratres electi a vestro et preceptoribus ipsis ad hoc specialiter nominati vel duobus ipsorum super questionibus ipsis ordinarent, diffinirent et amicabiliter terminarent, inviolabiliter a partibus servaretur et de observandis hiis vobis et dictis magistris, preceptoribus et conventibus apposita certa pena et prestito corporaliter iuramento, prout in litteris inde confectis plenus dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati ordinationem huiusmodi, sicut rite, sine pravitate ac provide facta est et a partibus sponte recepta et in alicuius priudicium non redundat, ratam et firmam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnium hominum licet hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptaverit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius noverit incursurum.

Dat. Lugduni 3. Id. Mart. Pontificatus nostri anno tertio.

Malta, Joh. Ord.-Archiv XII, 16.